Programm

der

PLÖNER GELEHRTENSCHULE,

wodurch zu den

auf den 30. und 31. März und 2. April

festgesetzten Prüfungen

und zu den

am 3. April

zu haltenden

Abschiedsreden zweier abgehender Primaner

ergebenst einladet

Prof. Bendixen, Rector.

Inhalt: 1) **De Horatii epistolarum libro priore,** von **Dr. Keck,** constit. fünften Lehrer.
2) Schulnachrichten vom Rector.

Plön 1857.

Druck von S. W. Hirt.

Seinem ehemaligen lieben Collegen
Herrn Conrector Petersen
mit freundlichstem Gr[uß]
H. Keck.

DE HORATII EPIST. LIB. I.

CRITICA AD LUDOVICUM DOEDERLINUM EPISTOLA.

SCRIPSIT

HENRICUS KECK.

Ludovico Doederlino Henricus Keck S. P. D.

Uno abhinc anno et sex mensibus quum Hamburgum convenissent homines philologi atque grammatici, vehementer cupiebam de Hor. Sat. I, 4, 81—85, quem locum Tu, Vir clarissime, Altenburgi cum omnium fere hominum eruditorum consensu primus recte interpunxisse atque interpretatus esse dicereris, meam Tecum sententiam communicare. Namque adeo mihi a Tua interpretatione dissentiendum videbatur, ut, quibus verbis Tu Horatium cum indignatione a criminibus probrosis se defendere censeres, ea ipsa non minus quam v. 34—38 ego existimarem crimina quibus Horatius se ab obtrectatoribus peti faceret. Sed quum Tu, Vir clarissime, illo tempore a nobilissimo quoque viro maxime appellareris ut eorum colloquiis per totos dies occupatus esses, ego, quippe qui nomine obscuro essem neque frontis urbanæ laude excellerem, satius duxi pepercisse lasso Tuo animo atque meam de illo loco dissensionem reticuisse: postea autem in publico meam de illis versibus qualemcunque opinionem exposui (*Zeitschrift f. Gymnasialwesen November 1856*). Ceterum quoniam per illos dies Tecum sermonem occipere in animo habebam, plerumque adhærebam Tibi comes: itaque sive in conciliis eruditorum hominum difficilem aliquem locum interpretabaris, sive crebris cum amicis Tuis sermonibus joca seria agebas, sive inter epulas curabas genium, sæpissime mihi contigit auscultanti ut non minus jucundas Tuas facetias quam acumen ingenii, æque Tuam in disserendo facilitatem atque eruditionis copiam admirarer. Maxime vero tum, quum aquæ vaporibus in abeno laborantibus Albis nos in Oceanum devexerat, postquam riparum pulcritudinem et mare apertum satis miratos Jupiter pluvius doctores umbraticos in cameram navis coëgit, ingenti nostros animos lætitia perfundebat pulcherrima Tua aliquot epistolarum Horatianarum conversio quam liberalissime nobis recitabas, ut uno ore omnes consentirent ad interpretandos Horatii libros neminem neque ab eruditione neque a judicio neque a sermonis elegantia Te esse præstantiorem. Quo igitur desiderio censes

me omnesque Horatii amatores Tuam Epistolarum editionem per totum fere annum exspectasse aut qua cupiditate librum tandem publicatum percurrisse? At magnum desiderium et magnam cupiditatem major etiam excepit admiratio. Equidem ex nulla unquam scriptorum veterum interpretatione me plus delectationis memini aut eruditionis haurire. Ac primum quidem quod convertisti Flacci epistolas e latino in germanicum, quamquam persuasum habeo eum scriptorem mutato versuum genere melius atque accuratius verti, tamen laudo elegantiam et facilitatem sermonis Tui, quam germanicis quidem versibus hexametris assecuturum esse quemquam paullo ante vix poteram adduci ut crederem: nullus ego quidem dubito quin hac in re omnes qui ante Te Horatii sermones germanice reddiderunt hexametris longe superaveris. Verum est immixtis trochæis de hexametri gravitate atque majestate Te paullulum detraxisse: sed admissa ipsa hac grata negligentia, quæ dici vix potest quantum valeat ad orationis tenuitatem atque simplicitatem, melius Horatii elegantiam atque urbanitatem imitatus es, quam qui perpensis quasi in trutina syllabis magna sonare voluerunt. Quod autem epistolarum capita ita descripsisti ut simul quid argumenti habeant et quomodo membra orationis cohæreant inter se plerumque satis appareat, non solum ludimagistri gratiam Tibi debent, sed quo plurium animos falsa illa atque ridicula adhuc pervasit opinio, poëtas non iisdem logicæ legibus quibus ceteros homines teneri, eo majorem Tibi gratiam prudentissimus quisque habebit. Nam et diserte sæpius monuisti et argumentatione fere ubique ostendisti tantum abfuisse ut Horatius communi sensu careret, ut nemo unquam eo planius atque emendatius scripserit. Iam vero quid luminis innumeris prope locis singulis interpretatio attulerit Tua, credere nemo poterit nisi qui totum Tuum librum attentissime legerit. Nam ex quo Th. Schmidius, vir omnium longe eruditissimus, Horatii epistolas doctrinæ suæ copia perfudit, desiderabatur qui ingenii acumine et subtili judicio præditus ad ipsius poëtæ intimam quasi cogitationem perveniret atque occulta ejus consilia perscrutaretur. Talis interpres Tu, Vir Clarissime, extitisti primus.

Sed laudis nihil indiget præstantissimus Tuus liber; ipsius ejus fructus ubique erunt uberrimi, quorum haud minimus hic fuerit quod quicunque conversionem et annotationes Tuas legerit eo acrius Horatii sermones intelligere studebit. Nam omnes locos difficiles iam satis expeditos esse ne Tu quidem poteris affirmare: multi adhuc medicina aut ex libris manuscriptis aut ex conjecturis petenda egent, multos licebit facilius atque elegantius interpretari. Et ego quidem, quum per hos menses hibernos in prima gymnasii nostri classe Epistolarum Horatianarum librum priorem tractarem et cum discipulis, ex quibus nonnulli et ingenio abundarent et summam diligentiam atque operam in scholas conferrent, de multis locis difficilioribus quam accuratissime disceptarem: ut Tuo semper maxime nitebar libro, ita haud pauca inveniebam de quibus a Te mihi

dissentiendum videretur. Quæ quidem per literas Tecum mihi liceat communicare: si non omnia, pauca fortasse Tibi probabo, et si uno loco in Horatii interpretatione me aliquid profecisse concedes, operæ pretium fecisse mihi videbor. Nam in hoc quoque genere valet Horatianum illud: *Principibus placuisse viris non ultima laus est.* Ac ne forte mireris, cur ego, homo ignobilis, Tibi Viro clarissimo epistolam dare maluerim, quam de libro Tuo componere libellum, non Tibi potissimum, sed universæ eruditorum hominum civitati oblatum: non modo hunc qualemcunque fructum scholasticum Tibi dedicatum esse velim, sed postquam Hamburgi Te vidi, ita meo animo obversaris etiam absens, ut humanitas atque urbanitas Tua quasi allicere me videatur ad certamen per literas ineundum atque Te intuendo plus mihi virium sumere videar quam oculos a Te avertendo. Iam vero quæ Tecum communicanda habeo audias benevole: indulgentia enim mihi opus est eo magis, quoniam hæc scripta sunt Plœnæ, oppidulo Holsatorum ut regionis amœnitate præstantissimo ita propter librorum inopiam tristissimo.

Et a Jove, ut ajunt, principium! Initium nobis a Jano! Quem quidem Ep. I, 54 paullo negligentius mihi videris tractasse. Quoniam enim in annotationibus hunc locum silentio præteriisti, germanice autem sic reddidisti: *dies liedlein lehret die Börse unten am markt und oben*, acquievisse videris in Bentleji hoc de loco sententia. Is vero quod falli censet eos qui Janos tres hinc sibi fingant, cum unus fuerit vicus, Jani nomine insignitus, ipse magnopere fallitur vir egregius. Quæ enim affert exempla Ov. Jb. 181. Hor. Sat. II, 3, 308. Art. poët. 254. quibus demonstret vocabula *summus ab imo* prorsus idem esse atque *totus, universus*, ex his primum exemplum, quo Tityos dicitur *summus ab imo jugeribus novem distare,* quoniam illo loco summa et ima ejusdem corporis partes ita inter se opponuntur, ut *ab* pendeat ex solo verbo *distandi*, huc nihil pertinet: alterum autem exemplum, quod exhibet *ab imo ad summum*, ipsa hac difficultate caret qua noster locus laborat: tertium denique *primus ad extremum similis sibi* ad hunc nostrum versum explicandum aptissimus sane est, sed ipso illo loco Horatius non de uno versu, sed de sex versus iambici pedibus loquitur, ut conjicere liceat etiam simillimo nostro loco de compluribus Janis sermonem esse. Nam si pro *omnibus* dici potest *primus ad extremum*, non tantum differt locutio *summus ab imo*, ut alium ei tribuas sensum. Quod autem Bentlejus hunc quem sibi fingit unum Janum statuit esse vicum, quo animo ferendum esse putas? Quid? Vicus si diceretur prodocere *Virtus post nummos!*, nonne qui eum implerent homines i. e. mercatores atque feneratores, dicerentur doctores? At illi v. 55 iidem dicuntur tanquam discipuli recinere dictata. Quid igitur? iidemne dicuntur prodocere et recinere dictata? Minime vero. Janus est ipse deus, cujus imagines in transitionibus perviis collocatæ in fori strepitum atque mercatorum fraudes despicere videbantur: quare jocose dicit Horatius Janos esse quasi ludimagistros, eorum discipulos mercatores. Quot

autem fuerint numero circa forum Jani, quamquam non pro certo exploratum habemus, post Th. Schmidii tamen curas probabile est fuisse tres: ii igitur nostro loco significantur. Nam quod sæpius feneratores quidem ad medium tantum Janum dicuntur sedere, Horatius non de his solis, sed de mercatoribus cujusvis generis loquitur. Itaque hoc dicit: *Tres Jani, imus et medius et summus, prodocent neniam illam: recinunt tanquam discipuli juvenes senesque mercatores.*

Fusius hoc de loco disputavimus, quoniam post Bentleji errorem omnes editores cum anxietate quadam accuratiorem illorum verborum interpretationem vitaverunt: Tu pro *Jano* dixisti *börse* et ne Schmidius quidem utrum cum Bentlejo faciat necne, ex uberrima ejus ad hunc locum annotatione satis apparet. Quamquam Tu quidem, vir doctissime, non minus persuasum habes quam ego, Horatium esse acerrimi judicii, ut, quamvis audaci nonnunquam utatur translatione, semper tamen concinne atque apte dicat neque unquam repugnantia in unum confundat.

Leviter igitur tetigisse satis erit alterum locum, quo idem Tu miram sententiarum confusionem obtrudere videris Horatio. Nam ejusdem epist. I. v. 50 *magna Olympia* vis non coronas Olympiæ reportatas dici, sed virtutis præmia quæ Jupiter optimus maximus viro bono ac sapienti concedat. Scilicet Tu hominem circum pagos pugnacem cogitare vis de præmiis virtutis. At quid tali homini intercedit commune cum virtute? Nonne sentis poetam, qui semel usus sit similitudine athletæ circum compita pugnacis, non posse quin de veris non virtutis sed virium et agilitatis præmiis cogitet? — At discrimen quod inter magna et parva Olympia intercederet, etsi noverat Horatius, quid attinebat hoc loco attingere? — Esto: sed magna Olympia opposuit parvis illis præmiis circum pagos et compita reportatis. De victoria autem Olympiæ sine pulvere parta jam Schmidius tam luculenter exposuit, ut prorsus non intelligam quomodo talem victoriam referri posse neges.

Sed missis his parvis erroribus veniamus ad totius hujus epistolæ locum longe difficillimum v. 60:

Hic murus aheneus esto,
Nil conscire sibi, nulla pallescere culpa.

Quem quidem locum qui ita interpretantur, ut etiam verba quæ modo perscripsimus dici a pueris ludentibus existiment, eos quoniam discernere non posse manifestum est quid pueros deceat, quid philosophos, ne audiendi quidem videntur. Qui vero ipsi Horatio dant illa verba quasi a puerorum nenia progrediatur ad exclamationem, laborant primum hac difficultate, quod prudentissimus quisque non intelligit, quid sibi velit hoc loco aheneus murus: nam in iis quæ antecedunt nihil videtur inesse quod pertineat ad rem arcendo aptam. Ac Tu quidem hanc difficultatem ita tollere studes ut dicas hunc esse sententiarum ordinem: divitem quidem hominem sibi argenti acervis tanquam muro

aheneo videri ab omni malo defendi atque regem quasi esse, sed optimum murum aheneum esse virtutem atque conscientiam rectam. At oritur altera major difficultas, quam ne Tu quidem videris sensisse. Quid enim? Horatius quoniam dixit de Jano præcipiente primum pecuniam esse quærendam et de pueris cantantibus hunc regem fore qui recte fecerit, tum vero subito quodam animi ardore inflammatus exclamavit pueros verum dicere, virtutem enim esse murum aheneum, nonne his verbis totam quæstionem, utrum Janus recte præcipiat an pueri ludentes, omnino absolvit? Absolvit profecto. At qui tandem post hæc verba incitata atque ardoris plena, quibus suam ipsius sententiam aperte professus sit, per ironiam quandam ac sine ira et studio, ut ita dicam, ex audientibus potest quærere, utrum Roscia lex melior sit an puerorum nenia? Equidem nescio: sic enim is demum quærere poterit, qui se ipsum simulabit aut non habere quid respondeat aut quæstionem nolle absolvere. Quid igitur? possumusne Horatium tam inconcinnum fuisse credere, ut tali modo hariolaretur? Minime vero. Nihil igitur aliquamdiu mihi videbatur relinqui nisi ut illa de muro aheneo verba tanquam spuria cum Wielandio et Meinekio ejiceremus: atque in hac opinione eo magis perstabam, quod ne ipsa quidem verba, quippe quibus non virtus, sed vacuitas vitiorum i. e. aliquid vacuum atque inane diceretur murus, dilucido atque distincto Horatii sermone mihi digna videbantur. Nihilominus postquam mihi in mentem venit illius versus:

Virtus est vitium fugere et sapientia prima,
Stultitia caruisse,

et carminis illius:

Integer vitæ scelerisque purus
Non eget Mauris jaculis neque arcu,

quo quidem carmine tantum non muro aheneo dixerit Horatius hominem probum ab omni malo defendi, non dubitavi, quin possent quidem ipsa illa verba esse Horatiana: et quoniam interrogationes quæ continentur v. 65—69 ad nostrum locum pertinent atque quod illic legitur *fortunæ responsare superbæ* ad illa de muro aheneo verba respicere videtur, jam nullus dubito quin revera profecta sint ab Horatio. Quomodo autem illæ difficultates, de quibus supra diximus, possunt expediri? Multis frustra tentatis unam video hanc viam, ut verba illa non per exclamationem, quasi ipsius Horatii sententiam aperiant, dicta, sed per interpretationem ad puerorum neniam adjecta statuamus. Id si verum est, his de quibus agitur verbis poeta non, id quod omnes fere interpretes volunt, suum ipsius judicium exclamat quo audientium animos præoccupet, sed puerorum verba explicat atque ex puerili quasi convertit in philosophorum sermonem. Hoc igitur dicere videtur: *at pueri ludentes, Rex eris, aiunt, si recte facies, sive (ut vim hujus neniæ expediam) hic murus aheneus esto, nil conscire sibi, nulla pallescere culpa.* De hac dicendi figura, qua

vocabula *sive, id est,* cetera id genus omitti solent, adeas si libet Auct. ad Herenn. IV, 28. — Fortasse dices: Quid ergo? tu regem esse idem existimas atque murum aheneum esse? nam alterum vis alterius interpretamentum esse. — Ego vero regem esse fere idem existimo atque muro aheneo sæptum esse: nam muri ahenei non minus quam regiæ domus nomine firmitas atque stabilitas significatur et de ipsa hac virtute agitur nostro loco, quare non mirum mihi videtur, si quis ad verba *rex eris, si recte facies* per interpretationem adjicit: *arx tua esto virtus.*

Satis multa verba fecisse videor de loco ambiguo: num quid profecisse? Erunt qui dicant hanc explicationem parum differre a vulgari, quoniam iam Schmidius annotaverit verba illa difficilia simul ad ea quæ antecedant explicanda esse adjecta: at vir egregius veram interpretationem casu quodam nescius attigit potius quam via ac ratione expedivit, et quod Orellius hanc quam dicit exclamationem aptissimam esse ait totius Epistolæ χαρακτῆρι, eum ne sensisse quidem loci difficultatem satis in aperto est. Quid multa? Tu quidem, vir doctissime, quid intersit inter meam interpretationem et ceterorum, facile videbis: itaque rogatum Te velim ut mecum adeas Epistolam V.

In qua quidem explicanda cum multa egregie proposuisti, tum Fr. Jacobsium secutus simul Torquatum ab avaritiæ crimine et Horatium a malitiæ vel importunitatis suspicione defendisti. Recte Tu quidem: at versus 6 nonne vides quantum valeat ad confirmandam istam sententiam? Nam quod Horatius cum amabili illa simplicitate quæ veteres decebat rogat amicum ut si quid melioris vini habeat afferendum curet — scilicet hospiti domi suæ vult bene esse et magis veretur suo vino eum non delectare quam delectare meliore nota ab ipso hospite allata — quis tandem tale quid ab amico petere auderet quem sciret avarum esse atque apothecæ suæ parcere? — Dixerit aliquis: irridet illis verbis amicum avarum, quem ne amplius malitiose cruciet subsequitur illud: *vel imperium fer.* — Interpretantur sane omnes hæc verba, quasi dicat Horatius: *Si non melius quid habes, acquiescas imperio meo:* verum hanc explicationem rectam esse negaverim. Nam etiam jocose dici poterat *fer imperium* i. e. *sustine, patere,* quasi hoc imperium durum aliquod atque molestum esset, magnopere tamen displicet quod non oppositionis causa ad *imperium* adjectum est *meum.* Sed etiam id ferri potest: nam videri possit poëta dicere: *permitte ut tibi in convivio meo imperetur:* quod vero particula *vel* eum locum obtinet, quem *aut* habere debet, id nescio an non ferendum sit. Nam si melius quid habeat Torquatus, monetur ut recuset imperium Horatii: sin minus, ut patiatur. Notissima res: exempla tamen afferam pauca.

Ovid. Met. 10, 50: Hanc simul et legem Rhodopeius accipit heros,
Ne flectat retro sua lumina, donec Avernas
Exierit valles: *aut* irrita dona futura.

Virg. Aen. **10, 630**: Nunc manet insontem gravis exitus: *aut* ego veri
Vana feror.

Hor. Od. III. 12, 3: Miserarum est neque amori dare ludum —
aut exanimari metuentes.

Hor. Od. III, 24, 24: Et peccare nefas *aut* pretium est mori.

Itaque, quoniam ex vulgari interpretatione nostri loci particula *aut* opus foret, ego eum sic interpungendum et explicandum censeo:

Si melius quid habes, arcesse. vel imperium fer!

i. e. *quid? ipse tu imperium obtineas, tu rex bibendi esto!* A linguæ quidem legibus nihil obstat quominus sic interpretemur: nam primum particulæ *vel* eam vim ut majora concedat Horatio esse usitatissimam apparet ex Od. I, 35, 1. II, 8, 3. III, 11, 47. Sat. I, 2, 134. 6, 22. 105 etc. *Ferendi* autem vocabulo sæpissime significari vel *adipisci quod quis petierit* vel *ex iis quæ tanquam distribuenda in medio posita sint partem nancisci,* nemo negabit: exempla ubivis etiam apud Horatium in promtu sunt. Quod magisterium denique convivii defertur ad Torquatum, plerumque quidem satis constat modimperatorem talorum jactu esse creatum, ut Od. I, 4, 18: *Nec regna vini sortiere talis* et II, 7, 25: *Quem Venus arbitrum dicet bibendi?* sed quum per se probabile sit in convivio non de symbolis parato quo quis celebratus sit ad hunc ipsum regnum delatum esse, tum suffragiis regem esse creatum satis apparet ex Xen. An. V, 9, 30 et Plut. Symp. I, 4. Accedit quod v. 21 hujus ipsius epist. legimus

Hæc ego procurare et idoneus imperor et non
Invitus, ne turpe toral etc.

Quæ quidem verba nonne satis ostendunt Horatium esse paratum ut tanquam Torquati procurator ab eo imperia accipiat? Equidem ea non intelligerem, nisi antea ad Torquatum magisterium bibendi delatum esset.

Restat ut paucis exponam, quomodo verba *si melius quid habes arcesse* et *vel imperium fer* ita inter se cohærere existimem ut ad alterum tanquam ad majus procedatur. Torquatus vir gravis atque severus et plerumque occupatissimus, quum non facile adduceretur ut genio indulgeret, ea tantum conditione ad convivium invitari poterat, ut sibi parcere posset atque cavere ab omni crapula vaporibusque. Quare Horatius: Bonum, inquit, bibes vinum: libenter etiam patiar te meliorem notam ipsum afferre: quid? ipse tu rex bibendi esto ut ipse quid quisque bibat statuas atque modereris. Domus mea jamdudum tuo imperio parata est. — Hæc omnia optime inter se cohærere dixerim: itaque quum verba *si melius quid habes arcesse* serio dicta esse appareat, hic versus haud minimum valet ad Torquatum ab avaritiæ crimine defendendum.

Verum ut ne minima quidem avaritiæ maneat suspicio: cur tandem Tu v. 12 et 13 ad Torquatum pertinere vis? Quos quidem versus tam artificiosa atque contorta ratione interpretaris, ut haud facile cuiquam de iis persuadeas. Equidem nullus dubito quin de se ipso loquatur Horatius: describendo suam ipsius indolem atque bibendi comissandique cupiditatem amicum sedatum ac severum vult et ipsum accendi atque abripi ad hilaritatem. Se ipsum autem suo jure dicere poterat insanum fore, si parcus ob heredis curam esset: quoniam enim et uxore et liberis carebat, cui tandem heredi consulturus erat parsimonia?

Sed hæc hactenus. Veniamus iam ad locum multo difficiliorem et graviorem, Epistolam VI dico, quam nova versuum 15 et 16 interpretatione Tibi videris in integrum restituisse, mihi — bona Tua venia dixerim, — haud dubium est quin corruperis. Scilicet Tu illos versus contendis non ipsius Horatii enunciationem esse, sed defensionem quam Numicius vel adversarius aliquis in medium proferre dicatur. At per reliquos hujus epistolæ versus ipse Horatius loquitur suo nomine: ne Tu quidem præter v. 15 et 16 ullum interlocutionis vestigium reperisti. Itaque quoniam audientium vel legentium animi minime parati erant ut duobus versibus repente adversarium aliquem argumentationi occurrere sibi fingerent, poeta qui tale quid vellet omnino non poterat quin addita particula *at* vel alio id genus vocabulo quid vellet aperte significaret. Dices fortasse simillimis conditionibus etiam Ep. XI quattuor versus 7—10 Bullatio datos esse non addito illo quod requiram vocabulo. Et libenter Tibi ceterisque viris doctissimis quos laudas auctores concedam non posse scitum interpretem quin illis versibus Bullatii verba contineri agnoscat: verum non ita ut ex tempore Bullatius illa fingatur interloqui, sed ut Horatius ex amici epistola ipsius verba afferat. Ita quidem is qui Horatii epistolam erat accepturus dubitare non poterat quid illi versus sibi vellent. Videsne quid ille locus differat a nostro? — Hic mihi occurrit istud: ipsam illam sententiam quæ inest in vss. 15 et 16 non potuit suo nomine in medium proferre Horatius: nam illud ipsum *nil admirari* quod primo versu tanquam unam prope rem quæ beatum facere et servare possit commendat, est virtus: quomodo igitur secum ipse ita possit pugnare, ut quam virtutem gravissimis verbis primo commendaverit ejusdem paullo post nimium studium cuiquam det insaniæ? — Ego vero primum hoc nego, Horatium in *nil admirando* virtutem posuisse. Quod quidem ut ostendatur, paullo altius videtur res expedienda.

Ipse poëta quoniam Ep. I dixit:

> Nullius addictus jurare in verba magistri,
> Quo me cunque rapit tempestas, deferor hospes.
> Nunc agilis fio et mersor civilibus undis,
> Virtutis veræ custos rigidusque satelles:

Nunc in Aristippi furtim præcepta relabor
Et mihi res, non me rebus subjungere conor —

hæc igitur quoniam ipse dixit, nemo dubitavit quin Horatius semper abhorruerit a sequendo certam aliquam philosophorum sectam et elegerit potius e diversissimis disciplinis ea præcepta quæ sibi maxime ad vitæ communis usum apta viderentur. Sed nondum satis constare videtur inter homines eruditos, primum Horatium poëtam potius quam philosophum esse itaque etiamsi sectæ alicujus præcepta quædam amplectatur multum tamen abesse ut dogmata e quibus tanquam ex fonte fluxerint illa præcepta non modo laudet sed intelligat: deinde eum ex contemtore atque irrisore Stoicorum sensim evasisse eorum admiratorem atque amatorem. Quamquam utrumque satis perspicuum est. An qui Sat. I, 3, 96 dicat

Quis paria esse fere placuit peccata, laborant
Cum ventum ad verum est: sensus moresque repugnant
Atque ipsa utilitas, justi prope mater et æqui —

idem Ep. I, 16, 55.

Nam de mille fabæ modiis cum surripis unum,
Damnum est, non facinus, mihi pacto lenius isto —

non aperte ostendit se ab Aristippi præceptis sensim ad Stoicorum doctrinam ascendisse? Sunt sane qui hæc inter se congruere velint: sed ii homines ipsi videntur ex eo numero esse qui neque obliviscantur neque discant quidquam. Et cum sæpissime Horatius Stoicorum rigorem atque morositatem irridens (ut Sat. II. 3, 33. Ep. I, 1, 106. I, 12, 20) a severitate ejus doctrinæ abhorrere sese dicat, nihilominus autem, quo magis animum excolit atque erudit, eo vehementius eorum præcepta amplectatur: nonne luce clarius est, eum ex libris suis quæcunque sibi placerent atque virum bonum ac sapientem decere viderentur, celeriter arripuisse, non perspecta ingenti illa difficultate, qua laborabat disciplina Stoicorum tum quum decreta sua ad vitæ usum revocare conabantur? Hoc igitur contendo, Horatium, poëtam sane acerrimi judicii, sed ad philosophorum rationes parum aptum, nonnulla sæpe cupidius quam circumspectius e Stoicorum præceptis elegisse et neglectis præceptorum fundamentis ita in suum usum convertisse ut nonnunquam philosophorum verbis popularem quandam sententiam subjiceret.

Atqui ne Stoici quidem in vacuitate illa affectuum atque perturbationum animi summum bonum sive virtutem illam, quæ ipsis erat una et individua, posuerunt: sed quum una virtus iis esset posita in eo ut quis ratione atque consilio naturæ convenienter, τῇ φύσει ὁμολογουμένως, viveret, sapientem existimarunt non posse quin a perturbationibus illis rationis expertibus liber esset. Itaque vacuitas affectuum iis virtutem necessario sequi, minime vero ipsa virtus esse videbatur. Quid enim? si in illa vacuitate sola sapientiam



atque virtutem posuissent, nonne iis lapides vel saxa quippe quæ nullis cupiditatibus aut timoribus perturbarentur, virtutis laude maxime digna essent visa? Horatius vero quum de virtute loquitur ne cogitat quidem de illa Stoicorum virtute qualem sibi in sapiente suo fingebant: quæ quoniam in mortali quidem homine neque fuit unquam neque esse potest, ei videtur ridicula quædam atque otiosa esse. Ipse quum a natura ita comparatus esset ut in vitam et res ipsas animum intenderet, vitaret cane pejus et angue cogitationes a sensibus sejunctas, ea tantum ex Stoicorum præceptis quæ ad vitæ usum conferri possent amplectebatur: itaque quum de virtute loquitur, aut sermonis quotidiani sequitur consuetudinem aut ad ea se applicat quæ Stoici, rerum necessitate coacti, remittendo de severitate doctrinæ, de illis quæ *προηγμένα* dicebant disputaverant. Nam in earum maxime rerum studio, quas sapienti appetere licebat per Stoicos, ponit Horatius virtutem itaque varias ejus species statuit: justitiam, amorem patriæ, fidem et habet et colit virtutes. Quid? quod Ep. I, 17, 41 haud jocose dicit

aut virtus nomen inane est
Aut decus et pretium recte petit experiens vir.

A qua quidem virtute quantum distat illa *ἀθαυμαστία*, quam Stoici cum perfectæ sapientiæ specie conjunctam voluerunt! Tantum igitur abest ut in hac perturbationum vacuitate ponat virtutem Horatius, ut qui moneat ne quid miremur idem nos a nimio virtutis studio revocare possit.

Nam quod Tu dicis omnino ejusmodi admonitionem, ne virtutem ultra quam satis sit petamus, ab hac epistola quippe quæ gravissimis verbis sit perscripta esse alienam, non video cur poetæ quamvis gravi ac severo non liceat a ridicula quadam insania revocare. Ridiculus autem atque insanus videbatur Horatio si quis Stoicorum decretis ita utebatur, ut sibi constans neglectis rerum conditionibus atque despectis virtutibus quæ in communi vita versarentur eam virtutis speciem sequeretur quæ in hominem non caderet. Scilicet is præter se omnes habebat stultos, se unum sapientem ac bonum. Tales erant Crispini, Damasippi, Stertinii qui quam ridiculi atque insani Horatio visi sint scimus, nescimus quo jure nisi quod urguerent Stoicorum decreta ipsi non satis intellecta. Quid igitur? quum ipse dicat

Virtus est medium vitiorum et utrimque reductum,

possumusne mirari quod dissuadet nimium virtutis studium quale multi illius ætatis philosophi præ se tulerint? Nimium autem virtutis studium notavit verbis *ultra quam satis est*, non, id quod Tu vis, vocabulis *virtutem ipsam.* Quibus quidem nihil aliud quam opponit studium ipsius virtutis, quippe in qua petenda nimiam cupiditatem castigari non posse plerique censeant, studiis ceterarum rerum quas antea commemoravit. Tua igitur conjectura quamvis facili et ingeniosa: *ultra quam satis* et *virtutem si petat ipsam* non opus est.

Et quoniam his de verbis copiosius disputavimus, redeamus ad totius epistolæ initium, quod quid sibi velit haud obscurum mihi videtur. Nam quum Horatium, qua est mente sana et a cogitatione abstrusiore aliena, credere non possimus virtutem atque summum bonum in *nil admirando* posuisse, tum ex ipsis primis verbis luculenter apparet eum non adeo Stoicorum doctrina imbutum fuisse. Quid enim? sapientem atque emendatum esse si putasset idem ac nil admirari, poteratne dicere: *nil admirari* **prope** *res est una quæ beatum facere possit?* Certe sapientia ac virtus ei non prope una res, sed vere una solaque res erat quæ vitam beatam præstaret. Ergo quum virtus ei summum bonum esse videretur, ars nil admirandi illuc ei videbatur pertinere ut facilius ad summum bonum perduceret. Quare ne hoc quidem Tibi concesserim, artificiosam Tuam interpretationem verbi *nil* quasi sit *nil eorum quæ sub oculos cadant* esse veram. Imo nulla prorsus cupiditate, qualecunque id sit quod nos ad cupiendum permoveat, ait Horatius nos inflammari debere, sed quidquid agamus semper ratione atque tranquilla mente utendum esse. — At ipse admirabatur Augustum et Mæcenatem et alios sexcentos atque magis in laudandis prædicandisque virtutibus aliorum quam in vitiis castigandis sibi placebat. — Verum dicis: sane Horatius, quo erat et candore animi et fervido ingenio, admirando amicos eorumque virtutes sæpissime suam ipse philosophiam impugnavit atque refellit: sed tum cum hanc epistolam scribebat si ex eo quæsivisses, vetaretne a nobis etiam amicos cum hac admiratione amari, novam suam doctrinam ipse admiratus sine dubio Tibi respondisset se vetare: ne amanti quidem licere ita ullum hominem admirari ut tranquillitatem animi perderet. Ceterum ea quæ subsequitur epistola VII, quam Weberus eodem anno atque sextam existimat scriptam, Horatium satis ostendit certis quibusdam temporibus ne Mæcenatis quidem tanta admiratione teneri, quin de reponendis ejus donis cogitet.

Ita si interpretamur illas difficultates, et meo jure videor sic interpretari, sententiarum quibus continetur hæc epistola ordinem haud ita difficilem esse intellectu existimo. Facile agnoveris hujus epistolæ partes tres, quarum prima v. 1—16, altera v. 17—27, tertia reliquos contineat. Ac prima quidem ostendit Horatius cavendum esse ab animi perturbationibus, quippe quibus impediamur quominus via ac ratione summum bonum assequi studeamus: altera autem parte, argumento quasi quod *ex contrario* dicunt usus: an per cæcas, ait, cupiditates atque animi perturbationes ad summum bonum atque felicitatem te perventurum esse censes? Nam quod per ironiam nos admonet ut miremur vilissima quæque et v. 27 moriendum nobis esse adjicit bonaque omnia derelinquenda, aperte docet per cupiditates rationis expertes ad summum bonum perveniri non posse. Tum vero quoniam v. 1—27 primo serio loquutus deinde per ironiam ab animi perturbationibus nos revocavit, tertia denique parte ita consilio et ratione utendum esse exponit,

ut, quod summum bonum judicaverimus, id constanter assequi studeamus ac recta quasi via ad suum quisque finem pergamus. Iustis enim remediis et ad morbum fugiendum et ad recte vivendum opus esse (v. 28 — 30). Atque tertiæ quidem partis omnem vim in v. 30 positam esse neminem fugit. Quod autem quasi dubitando præter virtutem etiam plura proponit in quæ incumbere possis, minime, id quod Tu vis, speciem præ se fert hominis cujus nihil intersit quale nobis summum bonum fingamus, sed quum satis sciat non facile quemquam esse tam rudem atque inhumanum qui omnino virtute neget opus esse ad beate vivendum et quum iterum atque iterum gravissimis verbis affirmet, quam sibi quisque rationem vitæ proposuerit, eam constanter tenendam esse, cunctis versibus 31 — 66 hoc unum efficere studet, ut si quis concedat (concedere autem fere omnes) virtute ad recte vivendum esse opus, fortiter sequatur unam virtutem. — Hæc igitur totius epistolæ summa est: Ne quid vehementius cupidiusque inceperis, sed consilio semper ac ratione utaris: an vero, ubi cupiditatibus obcæcatus vitam egeris et subita mors te bonis spoliaverit, vixeris recte? ergo quoniam ratione utendum est, non poteris quin summum bonum judices virtutem in eamque omni studio incumbas.

Uberius hoc de loco disputavimus, quod ejus interpretatio pendere videbatur ex Horatii in philosophia ratione: celerius percurrere licebit quattuor qui sequuntur sermones. In quibus quum multa egregie novasti sive interpretando sive interpungendo, tum in explicando loco difficillimo qui legitur VII, 35 me judice tulisti palmam. Nonnulla sane relicta sunt quæ ne Tu quidem recte explicavisse mihi videaris: sed quia meliora non habeo quæ in medium proferam, de iis tacuisse satius erit. Quod autem Ep. X, 47 Waddelii conjecturam *imperat,* ***haud*** *servit* ne mentione quidem dignam fecisti, miror ego quidem, quamquam post Jacobsii lectiones Venusinas (pag. 166) ad unum omnes interpretes eam rejecerunt tanquam vanam atque inutilem. Nec minus ego infelicissimam eam dixerim quod in tali oppositione qualem volunt Waddelius et Dœringius latine, quod sciam, nunquam *haud* pro *non* usurpatur, sed dicendum erat *imperat, non servit:* sed quibus argumentis impugnant interpretes illam conjecturam, iis ipsis se ne sensisse quidem confitentur difficultatem qua permotus Waddelius in falsam conjecturam inciderit. Nam rectissime quidem sexcentis locis pecunia dicitur aut imperare aut servire idque in proverbium quoddam venisse apparet ex iis locis quos affert Schmidius: at totius nostri loci summa versatur in eo ut revocemur ab appetendis divitiis quippe quæ nihil pertineant ad vitam beatam. Quare Horatius, ne secum ipse pugnaret, si non *imperat, non servit,* tamen *servit aut imperat* dicere debebat. Nam quum disjunctius loquimur, posterius membrum hoc esse debet, cui majorem addimus vim: nostro autem loco quis dubitet quin omnis vis posita sit in vocabulo *imperandi?* Quod Ep. II, 62 legitur

Animum rege: qui nisi paret, imperat

dici poterat: *qui paret aut imperat*, non poterat: *qui imperat aut paret.* Accedit quod qui sequitur versus quocunque modo verba interpretaris sine dubio significat: *quamquam digna potius est quæ serviat quam quæ imperet.* Atqui sentis, opinor, hunc versum non quadrare ad lectionem vulgatam *imperat aut servit:* cui eleganter et concinne subjicienda fuisset hæc sententia: *quamquam digna est quæ* **semper** *serviat.* Itaque non possum quin Waddelium suo jure in lectione vulgata offendisse existimem: sensum autem quem requirit enucleatum habebimus, si Horatium statuerimus sic scripsisse:

Imperat — an servit? — collecta pecunia cuique.

Quod si verum est, ad firmandam thesin quam proposuit *collectam pecuniam imperare* per enthymema addit interrogatiunculam: *an servit?* Exempla ubivis in promtu sunt: satis erit attulisse Epod. VI, 15. Sat. I, 1, 76. 2, 59. 103. 10, 74. II, 3, 278. 312. Quomodo autem locus sit corruptus, manifestum videtur: nimirum librarii in enunciatione disjunctiva, quam hoc versu contineri putarent, particulæ *an* negabant esse locum. Contra in interrogationem *an* pro *aut* a librariis insertum videtur Ep. XVIII, 102. Nam quod illic legitur

Quid pure tranquillet, honos an dulce lucellum,
An secretum iter et fallentis semita vitæ,

jam Schmidius monuit alienam esse hanc divisionem tripartitam a poëtæ consilio: quod autem ipse cum dubitatione aliqua legendum proponit *honos* **ac** *dulce lucellum*, quoniam honos et lucellum inter se diversissima sunt, quæ minus apte particula *ac* copulentur, equidem non dubito rejicere. Scribendum videtur

Quid pure tranquillet: honos *aut* dulce lucellum,
An secretum iter et f. s. vitæ.

Hunc enim sensum requirimus: *Non honos aut dulce lucellum, sed secretum iter pure tranquillat.* — Sed ut redeam ad nostrum locum verbum de torto illo ab interpretibus fune faciam. Quo quod multi remulcum significari putant, vereor ne ridiculum sit, quoniam quod trahit navem, id ipsum navi servit, non imperat. Tu quidem de bestia quadam cogitare mavis quam homo fune alligatam ducat: at si id voluit poeta, ut obscuritatis vitium fugeret, ursi et ductoris aliquam mentionem facere debebat. Mihi vero comparanti Persianum illud (V, 118) *funem reduco* i. e. *quod antea tibi concessi retracto*, quæ quidem locutio ducta videtur de fune, quem pueri in diversum trahentes modo remittebant modo reducebant, vix dubium est quin Persius cum alias permultas tum hanc translationem debeat Horatio, ut nostro quoque loco de puerorum illo ludo cogitandum sit. Et quum Horatius sæpius Græcorum ludos pueriles attingat, hic autem ludus, quem quidem Poll. IX, 112 *διελκυστίνδα* vocat, id proprium habuerit ut funem tortum i. e. satis crassum pueri in diversum traherent donec alterutri superando certum quendam finem vincerentur,

non video quid ad expediendum nostrum locum aptius sit. Nam qui ducunt funem, imperant: serviunt qui sequuntur.

Sed missis his ambiguitatibus in quibus semper periculum sit ne alius aliud malit, demonstrare quid verum sit possit nemo, veniamus ad Epist. XIII in qua, si quid video, nonnulla parum explicata reliqueris. Ac primum quidem quod Tu non veram epistolam hanc esse ais, sed præsentem Horatii cum Vinio sermonem, vehementer a vero Te aberrasse persuasum habeo. Scilicet Tu fingis Horatium cum Vinio jam per totum diem quo ille iter paraverit collocutum ipso profectionis momento ei omnia quæ jam antea mandaverit gravissimis verbis repetere: itaque primum versum sic interpretaris: *ut hodie mane quum proficisci parabas docui te sæpe diuque.* Nam Participium *proficiscentem* ad totum diem, quo Vinius iter paraverit, pertinere posse putas. Et id quidem rectissime statuis: etiam plus libentissime Tibi concedimus. Fortasse Vinius jam quinque diebus ante constituerat Romam ire et per totum hoc tempus iter paraverat: nihil obstat quominus ad quinque hos dies Participium illud videatur pertinere. Nam *proficiscens* is recte dicitur qui in eo est ut proficiscatur. Verum enim vero hoc animo tenendum est, ita *proficiscentem* diversum esse a *profecturo*, ut illud vocabulum non solum ad apparationem itineris sed etiam ad illud ipsum tempus quo quis abeat spectet. Quod quidem Tu, vir doctissime, neglexisti. Quoniam enim Horatius se docuisse dicit proficiscentem, luce clarius est eo ipso temporis momento quo id dicat proficiscendi tempus præterlapsum esse: eo ipso momento non potest Vinius non esse profectus. Et in vertendo hoc versu frustra laborasti ut verba de verbis exprimendo eam quam velles sententiam efferres. Nam quod germanice sic eum reddidisti:

Wie ich am abschiedstag dich oft und gründlich ermahnte,

nemo profecto credere poterit hæc verba eodem die esse dicta Vinio præsenti. Atqui si confertur sermo cum homine absente, scripta ei hæc verba esse putanda sunt. Ergo epistolæ nomen huic opusculo vindicandum atque Horatius existimandus est si non revera hanc epistolam ad Vinium scripsisse, tamen speciem scribentis voluisse præbere. Quæ quidem ubi satis perpenderis, protinus etiam vocabulum *sic,* quod legitur v. 12, concedes Te male interpretatum esse. Nam quod Horatium putas hoc vocabulum dicentem docuisse ac præivisse venustum aliquem gestum, equidem nunquam adducar ut poëtas veteres credam sic digito monstrasse aliquid non ipsis verbis expressum, sed extra orationem quasi positum: verum ne Tu quidem tale quid in epistola quidem fieri posse censebis, nisi forte simul cum litteris fingis ad Vinium missam esse picturam qua gestus ille sub adspectum subjiceretur. Nam id Comment. Cruq. et Dœringius videntur sibi finxisse. Nihil igitur relinquitur nisi ut vocabulum *sic* ad ea quæ sequuntur pertinere statuamus: quod quidem fieri posse quum multis exemplis probavit Schmidius tum apparet ex Ovid. Metam. II, 75.

Præterea v. 10 hujus epist. parum intellexisse mihi videris. Quem quod germanice sic reddidisti:

Ringe dich wacker hindurch, über Höhn, durch Lachen und Flüsse,

Tu cum Orellio facere videris qui ad hunc versum annotavit jocari poëtam quasi inceptum difficillimum foret ex Sabino Romam pervenire. Frigidus profecto et ineptus esset ejusmodi jocus, nam summa totius epistolæ in eo versatur ut Vinius domi regiæ atque coram Augusto decorum custodiat: ab hoc autem consilio mentio de viæ difficultatibus facta quam maxime est aliena. Similiter versus disponit Kruegerus: v. 6 — 9 *anstændiges benehmen bei der ankunft.* v. 10 *lass es an der erforderlichen anstrengung auf dem marsche nicht fehlen.* v. 11 — 15 *benehmen bei der erscheinung vor August.* Sane si ita sententias confundere ulli poëtæ liceret, nihil haberem quod contra Te dicerem. Sed Tu, præclare vir, ipse persuasum habes multo minus Horatium contra mentis humanæ leges peccare quam vulgo interpretes putaverint itaque facile mecum facies qui versum decimum existimem videri quidem per se stare, sed revera enunciationi quæ sequatur subjectum esse, proinde quasi dixerit poëta: *Viribus quamvis utaris in itinere, simulac perveneris illuc, motus et gestus venustate opus erit.* Quum igitur concedat homini robustum corpus ac vastas vires antequam ad Augustum veniat exercere, monet eum, et huic quidem rei addit pondus, ut coram imperatore gratia potius quam viribus utatur: itaque v. 10 a v. 11 interpunctione non ita secernendus est ut sententiam absolutam continere videatur. Quæ quidem explicatio tam facilis et necessaria est ut mirer quod nemo adhuc interpretum in eam incidit præter Frölichium, popularem meum, qui nuper Horatii satiras et epistolas elegantissimis versibus in germanicum convertit.


Et quoniam de his quæ Te mihi assensurum esse confidam exposuimus, veniamus ad difficiliorem quæstionem qualis tandem fuerit Vinius Asella. Quem quidem quum omnes, quod sciam, interpretes rusticum quendam hominem ducant qui bonis moribus sed pinguiore ingenio fuerit, Tu censes hospitem atque familiarem Horatii fuisse, nobilem aliquem et fortunatum hominem. Cur ita credas non video nisi quod manifestum sit nuncii ab Horatio missi facilem ad Augustum esse aditum. At propter clementiam civilitatemque quam Suetonius (c. 51 et 72 — 85) in Augusto fuisse prædicat facile conjectura assequi possumus eum liberalissime cuivis copiam sui præbuisse, præsertim si quis ab amico quodam missum esse se dixerit. Cur autem hac in re prorsus a Te dissentiendum esse existimem jam paucis ostendam. Etiamsi festivam illam hominis cum asino comparationem, qua ludit Vinium Horatius, fieri potuisse Tibi concedam in amico quodam et nobili homine atque adeo in tali facetiorem fuisse, nunquam tamen nobis persuadebis v. 4 et 5, v. 8, v. 10, qualem sine dubio recte interpretati sumus, v. 12 — 15, v. 19 ad alium quemquam scribi potuisse, nisi ad



agrestem quendam ac rusticum hominem cujus inculti mores satis materiæ ad jocandum præberent. An vero Horatius amico cuidam, i. e. eleganti atque urbano alicui homini, præcipere poterat ne librorum onus sub ala portaret *ut cum pileolo soleas conviva tribulis?* Profecto Tu non magis quam ego talia ab amico Tibi præcipi patereris. Verum est in amicos Horatium nonnunquam paullo liberiorem esse et, hujus quidem ætatis judicio, sæpius etiam asperiorem: sed tum demum, quum studio sapientiæ virtutisque inflammatus eorum socordiam castigat et revocat ad cœlestem sapientiam, illud vitium, siquidem est vitium, committit. Nunquam vero urbanitatem adeo negligit ut amicis exprobret rusticitatem.

Iam vero si hanc ad Vinium schedulam Horatius voluit videri veram epistolam, Vinius autem, sive tabellarius fuit sive unus ex quinque illis bonis patribus, de quibus loquitur Ep. XIV, 3, recte putatur rusticus homo et pinguioris ingenii: cur tandem et quo tempore omnino hæc epistola scripta esse potest videri? Nam ad Vinium revera eam missam esse qua denuo doceretur quomodo libros redderet Augusto, nemo poterit credere, præsertim quum admodum probabile sit illum hominem ne legere quidem potuisse epistolam. Propter ipsum igitur Augustum scripta est: qua de re quum omnes fere interpretes rectissime consentire videantur, nemo tamen, quod sciam, accuratius exposuit quomodo hanc epistolam non ad Augustum, ut ita dicam, sed Augusto scriptam sibi fingeret ei insinuatam esse. Unus Schmidius eam breviter dicit simul cum carminibus imperatori esse datam. Et recte ille quidem: sed quo tandem pacto eam miserit Horatius tacet. Mihi vero non dubium videtur quin etiam in mittenda hac schedula facetiæ Horatianæ agnosci potuerint. Fortasse — siquidem in re prorsus incerta ad libidinem licet conjecturam facere — bono suo Vinio simul cum voluminibus signatis hanc epistolam tradidit, quasi omnia reddenda essent Augusto: et ita tradidit ut hæc ad Vinium scheda neque signata neque cum illis voluminibus uno fasciculo colligata esset. Vinius autem, coram Augusto admissus, et fasciculum ei et schedulam reddit ignarus quomodo a domino ludatur. Rusticus igitur homo summa cum simplicitate epistolam ad se ipsum scriptam dat Augusto itaque ipsius cum asino comparationem quodammodo probabilem reddit: Augustus autem schedulam tanquam sibi inscriptam accipit, tum vero ea perlecta primo delectatur errore nuncii quem tanquam truncum in quo poëta lepores suos perdiderit ridet, deinde Horatii urbanitate atque festivitate perspecta gaudet atque miratur quam belle ac lepide poëta ab omni molestiæ importunitatisque suspicione sibi caverit.

Quæ quidem si recte nobis excogitata sunt, facillime apparet etiam cur v. 2 *signata* volumina dicta sint. Neque enim admonet Horatius Vinium ne curiosius fasciculum resignet — quid hoc attinebat ad hominem qui ne legere quidem sciret? — neque eum



hortatur ut intacta atque integra reddat volumina Augusto, nam corrumpi quidem et lædi poterant etiam signata: sed quoniam Augustum poëta scit hanc schedulam lecturum esse, huic non signatæ opponit signata volumina, scilicet ut paullisper Augustus magis credat a nuncio errorem esse commissum.

Sed iterum in tam sublimia quasi conjecturarum fastigia adscendimus ut verendum sit ne in cassum disputare videamur: perveniamus rursus illuc ubi consistere atque certis argumentis pugnare possimus. Nam etiam in ea quæ sequitur epistola, XIV, habeo quædam quæ Tibi me probaturum esse sperem. Et primum quidem quod v. 10 interpunctione separas a v. 11 et ab hoc v. 11 novum sententiarum ordinem ordiris, non video quomodo v. 12 vocabula *stultus uterque*, quæ non ad Horatium et villicum pertinere velis, expedias. Vix enim credibile videtur quod solis verbis *cui placet alterius sua nimirum est odio sors* et iis quidem a v. 10 separatis significari censes duos qui inter se invideant: aut, si de uno homine invido cogitasset poëta, scribendum ei fuisse *cui placet* **aliena**, *sua est odio sors.* Ingens iste est error: an vero, quod Cic. de off. I, 2 habet *nulla vitæ pars, neque si tecum agas quid neque si cum altero contrahas, officio vacare potest*, eum dices minus recte *cum altero* pro *alio* scripsisse? Quid? quod Zumptius gramm. § 141 hunc usum non solum exemplis firmavit sed etiam rationem satis explicuit. Itaque fieri non potest quin v. 12 ad ipsum Horatium et villicum pertinere credamus: et se ipsum et villicum, quoniam uterque locum immeritum causetur, stultos appellat. Et quum v. 4 Horatius spinas se animo evellere dicat, quid mirum quod se ipsum quoque, qui rure viventem prædicet beatum, festive fatetur hac stultitia laborare quod interdum infelicitatis culpam in loco, non in animo ponat. Hic Tu dicis si Horatius se ipsum et villicum stultos dicere voluisset, eum scripturum fuisse: *stultus uterque causamur*, non *causatur.* At Ep. II, 2, 96, ubi poëta de se et æmulo aliquo loquitur, eodem modo dicit

Mox etiam, si forte vacas, sequere et procul audi,
Quid ferat et quare sibi nectat uterque coronam.

Iam vero quum ceteri omnes interpretes v. 13 hunc sensum subesse dicant: *culpam non in loco, sed in animo esse quippe qui se nunquam effugiat*, quæ quidem sententia tam sæpe apud Horatium occurrit ut exemplis afferendis supersedere possimus, Tu eam interpretationem falsam esse contendis quod qui dicat *culpam esse in aliquo* prorsus aliud velit atque qui dicat *in culpa esse aliquem:* nam hoc esse *vituperationem merere*, illud *certi alicujus damni causam esse.* Quare Tu quidem v. 13 ita ut in uno versu uni vocabulo *animi* duplicem sensum subesse velis sic interpretaris: *vituperandus est is animus qui se i. e. cupiditates nunquam effugit.* Quæ quidem interpretatio tam nova atque inaudita est, ut eam facile Te missurum esse credam si Tibi persuaseris *in culpa esse animum* fere idem significare atque *culpam in animo esse.* Plerumque quidem differentia ista apud bonos

scriptores observatur: sit ita sane: sed cum per se appareat duas illas locutiones adeo inter se similes esse ut difficile sit earum fines non confundere, tum Cicero Verr. V, § 134 hæc habet: *Dico aut omnes extra culpam fuisse, aut, si uni attribuenda culpa sit, in eo maximam fuisse, qui optimam navem, plurimos nautas haberet, summum imperium obtineret: aut, si omnes in culpa fuerint, non oportuisse Cleomenem constitui spectatorem illorum mortis atque cruciatus.* Quo quidem loco duæ illæ locutiones ita inter se permutantur ut duabus fere idem significari apertum sit. Quæ quum ita sint, non dubitandum videtur quin hæc sit Horatii sententia: *Rure ego viventem, tu dicis in urbe beatum: cui autem alterius sors placet, sua est odio: ergo mihi urbs, tibi rus est odio. Sed stultus uterque causamur locum, quum culpandus sit animus, quippe qui, ubicunque est, se ipsum nunquam effugiat.*

Quæ quidem quamvis per se perspicua atque aperta sint, tamen quomodo cum iis quæ sequuntur cohæreant, si non vulgus interpretum, tamen ego laboro. Nam quum v. 10 — 13 Horatius ita se cum villico comparet ut utrumque stultitiæ arguat, iis quæ sequuntur ab inconstantiæ crimine ita se defendit ut quid ipse distet a villico pluribus aperiat. Qua ex re illi quidem, qui cum simplicitate quadam atque confidentia scriptores veteres ita interpretari audent, ut nihil deesse censeant modo ipsi supplere possint sententiarum ordinem, nihil solent laborare: qui simulatque nostro loco v. 13 et 14 junxerint addendo secum hanc sententiam: *jam vero quid ego a te distem audi,* omnia tanquam sana atque integra relinquent. Ego vero, quoniam v. 10—13 Horatii cum villico concentus rebus potius quam verbis expressus est, item v. 14—21 ejus a villico differentia, non potuisse contendo poëtam quin ipse adderet illa verba, quæ ab interpretibus transitionis causa inseri solent. Quod quidem quoniam e sensu communi æstimandum est, demonstrare non possumus, sed nostro jure videmur poscere ut quicunque hæc legerit nobiscum faciat. Itaque statuendum est inter v. 13 et 14 unum vel plures versus excidisse, quæ lacuna quomodo explenda sit paullo post videbimus.

Sed antea aliæ quædam difficultates expediendæ sunt. Nam v. 26 — 30 nondum satis ab ullo interprete explicatos esse persuasum habeo. Rectissime Tu quidem eam opinionem rejicere videris, qua putatur hic sensus verbis inesse: *et tamen tot opera tibi urguenda sunt ut de voluptatibus istis cogitare non debeas:* abhorret enim ab ea interpretatione veterum humanitas quippe quæ ne servos quidem tot laboribus premi voluerit ut de voluptatibus cogitare vetarentur. Quod autem Tu cum plerisque sic explicas locum: *nihil habes voluptatis, et tamen, ut ais ipse, nimium laboris quippe qui rusticum opus urgueas et bovem etiam disjunctum cures,* id recte disputatum esse negaverim. Nam primum quidem *arva urguere* non est idem quod *opus rusticum urguere.* Recte quidem Tibullus: *et durum terræ rusticus urguet opus* — recte Virgilius: *vestem urguere,* nam in his locutionibus facile agnoscitur propria verbi *urguendi* vis: est enim aut *trudere aliquid magno molimine* aut

premere magno pondere. Opus truditur ad perfectionem, ager non item. Quod autem Tu propter hunc unum locum statuis duo esse verba *urguendi,* alterum ab *εἴργειν*, alterum ab *ἐργάζεσθαι* ductum, et hoc alterum quidem nostro loco interpretandum esse, id vereor ne audacius quam verius inventum sit: nusquam reperies *agrum* aut *terram urgueri* ut interpretari necesse sit *assidue coli.* — Deinde bovem disjunctum curare et strictis frondibus explere profecto non erat magni laboris: cujus si voluisset poëta mentionem facere, de bove aratrum trahente dixisset. Multæ molis denique Tu ipse rectissime moues Digentiam rivulum non indiguisse: sed quod *multa mole docendum* interpretaris *multo labore coërcendum,* iterum non satis observasti propriam verbi *molis* vim: est enim neque labor neque vis, sed magnum aliquid et ingens quod levari quidem non possit nisi omni labore et egregiis viribus: nusquam apud bonos scriptores dictum est *multa mole* pro *multo labore.* Nam quod Virgilius ait

tantæ molis erat Romanam condere gentem,

non dicit *tanto labore stetisse Romæ initia* sed *rem quasi maximi ponderis fuisse motu difficillimam.*

Itaque nobis alia interpretandi totius loci via ingredienda est. Et ego quidem in v. 26 — 30 pigri villici irrisionem inesse puto, non acerbam illam quidem, sed jocose atque festive prolatam. Orditur poëta orationem a verbis: *et tamen, ut ais ipse, urgues,* quasi in animo habeat sic pergere loqui: *difficile opus terræ:* tum vero in locum eorum quæ ex sententia villici dicenda erant subito sive, ut græce dicitur, *ἀπροςδοκήτως* sua ipsius de villici operibus opinione substituta nihil fere ei laboris esse dicit. Nam *urguere arva,* si quid video, nihil aliud est nisi *pondere corporis terram premere* i. e. *prorsus otiosum atque laboribus vacuum in agro versari.* Agnoscis, opinor, propriam verbi *urguendi* vim: quod autem facete eo vocabulo utitur poëta ad notandam inertiam, etiamsi apud veteres simile exemplum inveniremus nullum, non minus probabile mihi esset comparanti germanicum illud *die bank drücken,* quod nescio an quispiam ludimagister cum acerba pigrorum discipulorum irrisione dixerit. Verumtamen cum Græci habent similia, ut Homericum illud *ἄχθος ἀρούρης*, tum Cicero epist. ad fam. IX, 15 hæc exhibet: *Ne mihi quidem ipsi tunc placebat diutius abesse ab rei publicæ custodia. Sedebamus enim in puppi et clavum tenebamus: nunc autem vix est in sentina locus. An minus multa senatus consulta futura putas, si ego sim Neapoli? Romæ quum sum et urgueo forum, senatus consulta scribuntur apud amatorem tuum, familiarem meum.* Quo quidem loco Tullius, quo sale amaro perfusa est tota epistola, verbo *urguendi forum* desidiam suam atque negotiorum vacationem, quippe cui jam in sentina vix sit locus, increpat. Itaque siquidem *urguere arva* est *otiosum in agro versari,* statim intelliges etiam quid sibi velint verba: *jampridem non tacta ligonibus.* Videlicet villicus jamdudum neque aratro neque ligonibus exercuerat arva, verum non ita hoc ei exprobrat Horatius ut rura exercenda fuisse dicat — apparet enim ex epist. XVI



revera deserta potius tesqua in Sabino fuisse quam arva fertilia, itaque probabile videtur ipsam agriculturam a domino, qui operæ pretium non fecerit, mox derelictam esse — sed ut ostendat villico quantum absit ut queri possit nimios labores. Quippe nihil aliud ille quam curat bovem disjunctum i. e. jamdudum aratro desuetum, aut, si decidit imber, rivulum coërcet exiguo aggere: nam cur hunc aggerem lepide in majus extollendo dicat multam molem, jam quisquis, opinor, videt. Hæc igitur totius loci sententia est: *Voluptates tibi incutiunt urbis desiderium, quamvis non, ut ais ipse, multos, sed nullos fere labores perferas.*

Iam vero qui sequitur v. 31

Nunc age, quid nostrum concentum dividat, audi

ad hunc quidem locum non aptus est. Neque enim in iis quæ antecedunt sermo est de concentu qui dividi possit, et quoniam v. 14—30, maxime autem v. 18—20, de differentia quæ inter Horatium et villicum intercedat dictum est, locutio qua de illa differentia se dicturum esse poëta pronunciet prorsus intolerabilis videtur hoc loco. Itaque vix dubito quin ipse hic versus, hoc quidem loco satis absurdus, inter v. 13 et 14, ubi lacunam esse demonstravimus, ponendus sit: quod illic nostro jure desiderare videbamur, id ipsum hoc versu continetur: optime enim sic transitur a versibus, quibus jocose poëta se cum villico comparavit, ad eos quibus se multo constantiorem esse affirmat.

Hæc si recte disputata sunt, simulatque versuum in hac epistola ordinem agnoveris turbatum esse, non poteris quin etiam v. 32—39 suo loco motos esse credas. Non solum desunt quibus a v. 30 ad v. 32 transeatur, sed etiam expositio causarum cur jam rus præferat urbi ab hoc loco aliena est, aptissima autem ad v. 16 et 17, quippe quibus constans ruris desiderium explicuerit. Accedit quod v. 40 non satis aptus est ex v. 39: nam si v. 40 a se poëta ad villicum ita transiret ut sibi opponeret servum, necessarium foret Pronomen *tu*, quod quidem sentiens Bentlejus scripsit: *cum servis tu urbana diaria rodere mavis.* Verumtamen etiamsi libri manuscr. hoc exhiberent, ne ita quidem locus esset sanus: non enim villicum sibi ipsi opponit, sed ut v. 42 docet, villico calonem. Ut igitur paucis rem absolvam: primum de villici desideriis loqui, deinde de se ipso suoque ruris desiderio, tum ad servum redire, sed ita ut huic alterum servum comparet — hanc dixerim confusionem sententiarum quæ minime Horatium quidem deceat. Optime vero versus 40 sequitur versum 29: quoniam enim tamdiu in villici studiis poëta moratus est, licet ei digredi ab eo quod tractandum sibi proposuit, quid intersit inter se et villicum, ad comparandos inter se duos servos: maxime autem vituperanda esset hæc digressio, si paullo ante de se ipso, quem villico opponit, locutus esset. Ac si quærimus, versus 32—39 unde tandem huc delati sint: aptissime mihi videntur collocari post v. 17, ut primum aperiat poëta ruris desiderium, deinde exponat cur aliter sentiat vir, aliter adolescens. Sic igitur totius epistolæ versus censeo ordinan-

dos: v. 1 — 13. 31. 14 — 17. 32 — 39. 18—30. 40 — 44. Qui quidem ordo qua re factum sit ut primum turbaretur nescio: persuasum habeo epistolam qualem ego restituerim multo pulcriorem atque elegantiorem esse ea quam adhuc legimus. Nam ita non solum res primaria, expositio causarum cur rus præferat urbi, in media epistola collocata est, sed etiam ipsius et villici comparatio multo simplicior atque concinnior videtur: sententiæ vero tam apte inter se junctæ sunt ut nusquam in transitionibus offendere possis.

Et his quidem uberius expositis obiter Te monitum volo de Tua versus 6 interpretatione. Nam quod Tu *Lamiæ pietatem et curam* vis esse Horatii erga Lamiam pietatem atque ejus pro illo curam, linguæ ratio isti interpretationi obstat. *Pietas*, quoniam id vocabulum non a verbo transitivo quod dicitur potest derivari, nunquam cum illo quem Tu vis Genitivo conjungitur: est nomen absolutum. Præterea ex Tua quidem sententia scribendum fuisset *pietas atque cura*, non *pietas et cura*. Itaque hunc verbis inesse puto sensum: *Me moratur Lamiæ erga fratrem pietas et ejus pro domo fratris mortui cura.* Sic omnia videntur recte habere.

Adeamus igitur ad epistolam XV. In qua quum multa probabiliter exposuisti tum de scurra urbano (v. 27) disseruisti ita ut vel ex una hac adnotatione appareat, quam egregie Tu quidem et a natura et a doctrina ad interpretandos Horatii libros instructus sis. Item quæ ad v. 13 de difficili illo atque parum apto vocabulo *sed* dixisti, mirum est quantum distent ab omnibus, quæ ceteri, imprimis Orellius, hac de re hariolati sunt. Neque tamen quod poëtam ais cum superbia quadam voluisse quidem in logicæ præcepta peccare, velut si quis germanice dicat: *Vergebens suchte der general seine leute zum stehen zu bringen: aber sie waren nicht zu halten,* mihi videris omnino recte interpretatus esse locum. Distat enim aliquantum istud exemplum germanicum ab hoc quod tractamus. Nam quod quis levi vocabulo *vergebens* neglecto ita continuat orationem quasi omnino non sit dictum, facile ferendum videtur: Horatius vero quod cumulatius scripserat *læva stomachosus habena*, id non poterat isto modo negligere. Et ego quidem Flaccum equitem ne minimum quidem crediderim ore loqui: nam quod Tu verba *læva stomachosus habena* interpretaris: *læva stomachose flectens habena*, id posse quidem fieri est certissimum, sed non video cur non simplicius et elegantius Ablativum *læva habena* pertinere velimus ad verbum dicendi: nimirum prorsus nihil dicit eques ore quidem quoniam verba non intelligit bestia, sed læva habena dicit ille i. e. habena significat equo non Cumas sibi esse iter aut Bajas. Ita quidem si interpretatus eris, non majus ideo in vocabulo *sed* inerit vitium. Ad illud autem expediendum miror quod nemo adhuc interpretum in medium protulit simillimum locum, quem legimus apud eundem scriptorem Sat. I, 5, 60:

O tua cornu
Ni foret exsecto frons, inquit, quid faceres, cum
Sic mutilus miniteris? *At* illi fœda cicatrix
Setosam lævi frontem turpaverat oris.

Ad quem quidem locum Orellius cum ea qua solet in prætereundis difficultatibus facilitate ex Hand. Turs. I, p. 421 affert nonnulla quæ illuc prorsus non pertineant: rectissime vero Heindorfius monet particulam *at* insolenter usurpatam esse pro *autem*, explicari enim quomodo Sarmentus mentionem injiciat de cornu exsecto. Similiter nostro loco pro *sed* velimus scriptum esse *autem*. Duo igitur hi loci, quoniam ad utrumque libri manusc. nihil inter se discrepant, ita inter sese tuentur ut corruptelæ oriatur suspicio nulla. Iam vero quoniam fieri non potuit ut particularum *at* et *sed* propria vis evanesceret, quæritur quomodo explicetur talis usus. Atque in satira quidem illa hæc mihi videtur poëtæ sententia esse: *at prope erat ut prætermitterem vobis narrare de fœda cicatrice quæ illi frontem turpaverat.* Eadem igitur ratione nostrum locum explicandum censeo: *Non sibi Cumas esse iter, eques læva habena significabit equo: sed quoniam verba mea paullo obscuriora sunt: equi frenato est auris in ore.* Verum est ita quidem paullo loquacius dicere Horatium, sed ipsa ea loquacitas eum in hac epistola videtur decere.

Quod autem ejusdem epist. v. 32 restituisti Blandini lectionem *donarat* et a v. 31 novam enunciationem ita ordiris, ut versibus 26 — 30 Mænium qualis scurra fuerit describi dicas, deinde v. 31 et 32 poëtam ad illud tempus quo fuerit dives respicere, denique inde a v. 33 iterum notari Mænium ad egestatem redactum: etiamsi abstinere potuisses quin v. 33 *hic* mutares in *hinc*, ne ita quidem mihi probasses lectionem istam genuinam esse. Quid enim? poëta qui v. 26 jam dixisset Mænium rebus maternis atque paternis fortiter absumptis ad egestatem redactum esse, qui poterat v. 31 memoriam illius temporis quo dives fuisset revocare? Cur tandem tum de hoc tum de illo tempore ei loquendum erat? Ita tantum interpretatio ista sana foret, si Horatius versus 31 et 32 per παρένθεσιν, ut ita dicam, inseruisset ad explicandum aliquid quod paullo ante commemorasset: nunc, quia v. 30 iis quæ sequuntur verbis explicari non potest, sententiarum quandam confusionem conferre videris in Horatium. Verum esto v. 31 et 32 de Mænii rebus secundis esse sermonem: qui tandem is dici poterat donasse ventri quidquid quæsiisset lucri? nam certe dum florebat opibus maternis atque paternis, quærere ne minimum quidem solitus est Mænius, sed fortiter absumebat fortunas. Itaque primo revocanda mihi videbatur lectio vulgata *donabat,* quod verbum ad Mænii nomen referretur. Quod si verum esset, per versus 26 — 32 ita continuaretur oratio ut Mænius fortunis absumptis ventrem diceretur pro deo quasi ac domino habuisse et coluisse atque omnino quidquid a fautoribus impetrasset avaro ventri donasse. Deinde v. 33—41 ita procederet

oratio ut bipartito audiremus Mænium inserviisse ventri, aut mira voracitate aut delicatissimorum ciborum apparatu: nam v. 33 *ubi nil aut paullum abstulerat* et v. 38 *ubi verterat* inter se ita respondere manifestum est ut ventris cultus significetur bipartitus. Ita quidem omnia optime disposita essent: sed hæreo in verbo *hic* quod v. 33 legitur. Quippe si ab hoc versu poëta ordiebatur novam enunciationem qua ea quæ antecederent accuratius definirentur, non opus erat Pronomine demonstrativo quo Mænius iterum nobis repræsentaretur: atque adeo, quoniam de nullo nisi de Mænio cogitamus atque de eo tota quæ antecedit expositio est, illud Pronomen non ferendum videtur. Nihil igitur relinquitur nisi ut assentiamur Bentlejo, sagacissimo illi viro, qui jampridem pro *donabat* ex veterum librorum lectione *donarat* vidit restituendum esse *donaret* et eum quidem Conjunctivum pendere ex vocabulo *qui.* Nimirum ex hoc *donaret* ortæ sunt duæ illæ lectiones quæ hodie in libris manuscr. extant: quippe requirebant librarii verbum quod ad Mænium referretur. At id ipsum quod requirebant est *cœnabat,* est *aiebat:* continuatur enim oratio per v. 26—41, sed propter amplam hanc verborum comprehensionem poëta v. 33 Mænium vocabulo *hic* in memoriam revocandum censuit: et rectissime quidem. Dicere poterat *hic igitur* vel *hic, inquam*: sed nihil obstabat quin simpliciore illo modo uteretur. Ceterum quæ supra de sensu v. 32 et de ejus cum v. 33 et v. 38 necessitudine monuimus, etiam ad Bentleji conjecturam optime conveniunt. Hoc igitur dicit Horatius: *Mænius, ut cœpit haberi scurra, qui non certum præsepe teneret et qui ita ventrem quasi pro deo coleret ut quidquid quæsierat ei donaret - hic igitur aut patinas cœnabat omasi, aut aiebat se non mirari si qui comederent bona.*

Quamquam hæc tam facilia sunt intellectu ut Tibi fortasse, vir doctissime, videar longus fuisse: multo difficilior est epistola XVI, ad quam, quæso, jam mecum adeas. Plurima in ea quidem a Te egregie sunt inventa: nusquam tantopere admiratus sum aut subtilitatem disputandi aut facultatem dijudicandi quid poëtam deceat, quid non. Et quum felicissimo quodam casu contigerit ut Kolsterus quoque, popularis meus, vir acris judicii laude non minus quam doctrinæ atque eruditionis insignis, nuper de sententiarum in hac epistola ordine ea qua solet elegantia atque acumine dissereret (Philol. X, p. 543 sqq.), hoc unum doleo quod Tua et illius de simili argumento disquisitiones eodem fere tempore scriptæ sunt ut neuter ab altero discere potuerit. Quod si factum esset, fortasse etiam loci difficillimi qui versibus 25—32 continetur interpretatio ad finem esset perducta. Quamvis enim priorum interpretum hariolationes accommodate refutaveris, tamen pauca quædam relicta sunt de quibus adhuc dubitandum videatur. Et primum quidem rectissime sane et Tuo jure v. 25 censes ad Pronomen *tibi* verbum *dicendi* pertinere, qui enim conjungi volunt *tibi pugnata,* Quinctium sibi fingant necesse est insipientem quendam hominem qui quamcunque adulationem tulerit: sed quod Tu ad verba *si quis bella tibi*

dicat per zeugma quoddam ex iis quæ sequuntur addendam putas apodosin *Augustum agnoscas*, inauditum istud zeugma idemque supervacaneum videtur. Multo pulcrior et simplicior hæc fuerit interpretatio: *Si quis poëma epicum tibi vacuo a negotiis dicens his verbis aures permulceat etc.* Acu videtur rem tetigisse Frölichius noster qui locum germanice sic reddit: *Wenn jemand dir ein epos recitirte Von kampf und sieg zu wasser und zu lande, Dein lauschend ohr mit solchem wort entzückte etc.* Iam vero ad ea respondere velimus: *agnoscere* **debeas** *laudes Augusti*, non *agnoscere* **possis**: postulat enim poëta ne quis de Augusti laudibus quippe quæ eximiæ sint atque égregiæ eædemque meritissimæ incertus sit. At quod volumus exhibent libri, modo rectius interpretemur verba: *agnoscere possis.* Quid enim? Horatii nonne hoc est proprium ut sæpissime cum urbana illa atque festiva attenuatione verborum, quæ græce *λιτότης* appellatur, minus videatur dicere quam dicat? Et nostro quoque loco *agnoscere possis* idem est ac si græce dicas *ἴσως ἂν δύναιο ἀναγιγνώσκειν* pro *ἀναγιγνώσκειν σε χρή* vel latine *agnoscis opinor.* Eandem autem ironiam exhibet interpunctio Feæ, plerisque non satis intellecta: nam quod v. 29 interrogationis signo concludit, interpretari videtur: *ecquid agnoscere possis?* velut si quis germanice dicat: *solltest du dann wohl im stande sein zu erkennen?* pro *du musst erkennen.*

Tum vero qui sequuntur v. 30 et 31 omnino desperandi mihi videbantur, priusquam egregiam Tuam interpunctionem cognovi. Nam quod plurimi cum Schmidio verba *respondesne tuo nomine* dicta putabant pro *respondesne ad tuum nomen,* non solum in Ablativo offendebamus, 'sed ne constructio quidem verborum poterat expediri. Nam fingebant sibi illi, ni fallor, enthymema quoddam, quale est Horatianum illud:

Ut jugulent homines, surgunt de nocte latrones:
Ut te ipsum serves, non expergisceris?

At si ea forma loquendi voluisset uti poëta, scribere debebat: *cum sapiens emendatusque vocaris, hoc tu pateris ac respondes ad tuum nomen?* In grammatica igitur peccasset quod particulam *ne* adjunxisset verbo *respondendi* et in logica quod id ipsum quod cum admiratione quadam atque indignatione quærendum esset, verbum *patiendi,* in propositione priore collocasset. Quod autem alii totum locum sic constituunt:

Respondesne tuo — dic sodes — nomine: „nempe
Vir bonus et prudens dici delector ego ac tu"?

neque quid sibi velint verba *tuo nomine* perspicio nec quomodo hic locus opponatur illis de Augusti laude versibus: nam iis quidem certissimum est Augustum dici laudibus suis respondere. Redeamus igitur ad Tuam interpunctionem non minus necessariam quam ingeniosam: quippe quæ tam facilis videatur ut postquam a Te inventa est omnes miremur cur non statim in eam inciderimus. Nam quum sic interpungis verba:

Cum pateris sapiens emendatusque vocari,
Respondesne? Tuo dic sodes nomine!

adjicis hanc aptissimam interpretationem: *Augustus nominibus suis adeo respondet ut nemo qui Varii audiverit panegyricum ejus laudes non possit agnoscere: quid tu? respondesne eodem modo iis vocabulis quibus appellari te pateris? Tuo dic nomine neve mihi objeceris te ab aliis existimari respondere.* Quæ quidem omnia et perspicue et eleganter dicta esse nemo negabit: quæ vero sequuntur *nempe vir bonus et prudens dici delector ego ac tu* vereor ne minus recte interpretatus sis. Nam Tu quidem illa ipsius Horatii verba putas. At qui paullo post gravissimis verbis dicat neminem nisi mendosum et medicandum falso honore juvari, eum non adducor ut credam delectari honestis nominibus. Accedit quod, si illa sententia Horatii esset, versus 33 particula adversativa nullo modo carere posset. Qua quidem optime caret, si illa de quibus agitur sunt verba Quinctii ad quæ v. 33 ipse poëta respondeat. Dixerit aliquis: Quinctius si jussus est suo nomine dicere utrum revera sapiens emendatusque sit necne, parum aptum est quod respondet *nempe vir bonus ac sapiens dici delector ego ac tu.* Quasi vero non sæpius etiam in præsentium colloquiis accidat ut alteruter responsionem alio derivare studeat: hoc autem loco, quoniam non adest Quinctius, poëta, siquidem responsionis eget, eam non potest exspectare nisi a proximis Quinctii litteris, interim autem facit eum falsi honoris gaudium excusantem. Optime igitur ad egregiam istam versus 31 interpunctionem convenit ea quæ jam inveteravit interpretatio ut versus 32 detur Quinctio.

Item in ea quæ sequitur epistola XVII, quamquam iterum atque iterum in versibus 24 et 49 quantum interpunctione verborum ceteris antecellas satis comprobasti, nihilominus quod v. 4 particulam *tamen* cum verbo *discendi* conjunxisti, pauca quædam videntur monenda esse. Quoniam, inquis, antecessit *quamvis*, verbum *discendi* eget particula adversativa. Repugnant non solum multa apud ipsum Horatium exempla, ut Od. I, 14, 11 et III, 10, 13, sed etiam ratio linguæ obloquitur: nam verbum *discendi*, quum primum totius enunciationis obtineat locum, multo gravius particula omissa opponitur iis quæ antecesserunt, quam si adderetur particula. Tum vero si eam voluisset poëta cum illo verbo conjungi, quis eam in fine totius enunciationis positam ferret, præsertim post inserta vocabula *ut si cæcus iter monstrare velit?* Profecto sic posita particula adeo langueret ut totius sententiæ vis infringeretur. Quare non dubitandum est quin *tamen* aptum sit ad eam quæ sequitur comprehensionem verborum: *tamen adspice,* sed difficultatem hujus locutionis parum perspectam habueris qui dicas ita quidem poëtam disertis verbis monere ne temere discipulus sibi credat, eam autem admonitionem a proposito alienam esse. Minime vero est aliena: quid enim? qui lepida cum veritatis superlatione se ipse comparat cum cæco homine qui velit iter monstrare, nonne is hac

ipsa re monet ne sibi habeatur nimium fidei? Difficultas igitur cur quis dubitet verba *tamen adspice* inter se conjuncta credere in hac potius re est posita, quod uno illo quod antecedit verbo primario *disce* nihil concessum est ad quod *tamen* pertinere videatur: immo jubet poëta Scævam discere: itaque *tamen* repugnare videatur contra logica. At facillime hæc difficultas sublata erit si verba sic interpunxeris: *Disce, docendus adhuc quæ censet amiculus. Ut si cæcus iter monstrare velit. Tamen adspice etc.* Scilicet verba *ut si cæcus iter monstrare velit* ita adjicit poëta ad eam quæ antecedit admonitionem ut ex ea suppleri velit *censet autem*: et ad hanc sententiam absolutam *censet autem ut si c. i. m. v.* pertinet illud *tamen.*

Iam vero animum advertas quæso ad hujus epistolæ finem. In quo quidem miror quod nusquam offendisti. Nam quum duas totius epistolæ partes esse satis appareat, alteram exponentem utrum melius sit regibus uti an non uti, alteram pauca quædam præcepta exhibentem de principum virorum consuetudine, nemo tamen explicare dignatus est quomodo hæ duæ partes inter se cohæreant. Utinam ex eo numero, qui Horatii elegantiam atque concinnitatem quotidie egregiis laudibus efferunt, pauci quidam studerent de sententiarum ordine exponere atque quo jure bucinatorum officiis fungerentur ostendere: sed id genus homines, quorum exemplum et ipse affers p. 143 jucundissimum, omnia licere poëtis opinantur eosque vates quosdam esse qui confuse ac permixte quidvis hariolentur. Nostro autem loco, cuicunque paullulum sanæ mentis est, non potest quin a v. 42 ad v. 43 adeo præcipitatum esse sentiat, ut non modo transitio sed ne continuatio quidem sententiarum appareat. .Verum est ac satis constat poëtis licere omissis illis particulis, quibus scriptores pedestris orationis in transitionibus utuntur, res ipsas inter se jungere: et Horatius quidem, quandocunque fabulam aliquam vel narratiunculam in medium profert ad illustrandam aliquam sententiam aut complura ejusdem generis membra ex ordine collocat, qua est celeritate ingenii, suo jure ex inopinato sæpissime transilit potius quam transit ab una parte ad alteram ut obstupefacti quasi ac perterriti primo non intelligamus quo nos perduxerit: verum quotiescunque a generali quadam sententia transit ad eas quæ illi subjectæ sunt, qua est sana mente, disertis verbis transitionis nos commonefacit. Itaque, quoniam absoluta quæstione utrum præstet regibus uti an non uti præcepta dare parat de ratione utendi desideramus talem fere transitum qualis hic foret: *Nunc age qua possis uti majoribus audi.* Verum esto per negligentiam quandam hunc versum omisisse Horatium: qui tandem accidit ut de iis tantum artibus quibus quis a majoribus ferat dona exponat? Nam multa præterea in principum consuetudine observanda esse et per se manifestum est et apparet ex epistola XVIII. Hic Orellius: Iam ex multis, inquit, præceptis quæ dare poterat pauca quædam sed præcipua (pudoris, modestiæ, prudentiæ) amico inculcat. — Audio: sed cur tandem hæc præcipua

erant? Fortasse Scæva erat homo aliquis impudentia atque importunitate insignis, cui hæc potissimum inculcanda essent. At Horatii erat amicus atque familiaris: at gravissimis verbis poëta amicum modestum atque hæsitantem ad appetendam majorum consuetudinem videtur excitare. Cur igitur inde a v. 43 de donis potissimum ferendis sermo sit non video. Tum vero qui v. 41 ait *aut virtus nomen inane est aut decus et pretium recte petit experiens vir,* idem v. 45 hæc habet: *atqui rerum caput hoc erat, hic fons,* videlicet dona ferre a regibus. Ergo in eo ponit Horatius virtutem ut calleat quis a principibus viris commoda ferre? Moriar si hæc ejus opinio est. Dicet fortasse quispiam: quod jocose disserit poëta ad notandos hominum sordidorum mores: id tu, quasi serio ad monendum Scævam scriptum sit, nimis anxie premis. Ad ea non habeo quod respondeam: est difficillimum stultos refellere. Tu vero, vir doctissime, haud ignoras poëtam, quum usque ad v. 42 serio locutus excitaverit amicum ad appetendam majorum consuetudinem, non subito ita declinare posse a proposito ut per satiram quasi aliorum mores perstringat potius quam doceat amicum. Adde quod epistola qua quis exponat utrum præstet principes viros fugere an sectari optime concluditur gravissima illa sententia: *aut virtus nomen inane est aut decus et pr. r. p. exp. v.*: epistola vero quæ et illam quæstionem et præcepta de ratione utendi contineat pessime concluditur versu 62 *quære peregrinum! vicinia rauca reclamat,* quippe qui animos quasi suspendat neque ad propositum redire patiatur. His igitur causis adducor ut Horatii ad Scævam epistolam v. 42 concludi existimem, reliquos autem versus deperditæ alicujus satiræ Horatianæ esse partem, qua quod simile argumentum atque epistola nostra tractatum sit, librarii huic eam assuerint. Nam plures Horatium scripsisse satiras quam quæ ad hanc ætatem pervenerint, cum propter multa in priore satirarum libro vestigia mihi credibile videtur, tum propter octo illos versus qui vulgo ante Sat. I, 10 leguntur et propter Ep. I, 19, 10 admodum est probabile.

Verum quodcunque de hac conjectura judicium feceris, Tibi quidem non in cassum videbor disputasse qui contendam eos malos poëtas esse quos non liceat ex sensu communi æstimare eoque quasi modulo metiri, nec quemquam adeo pollere ingenio qui logicas leges impune possit negligere. Nam et ipse Tu in ea quæ sequitur epistola XVIII similibus causis adductus v. 89 — 95 a poëta existimas scriptos esse post v. 66 : cui quidem conjecturæ firmissimis quasi fundamentis innixæ non habeo quod contradicam. Quamquam de v. 91 et 92 assentiri malim Hauptio et Meinekio qui verba paullo loquacius dicta contrahi velint in hunc unum versum: *potores porrecta negantem pocula, quamvis.*

V. 99 autem et 100 miror quod intactam reliquisti lectionem vulgatam **num** *te semper inops agitet vexetque cupido,* **num** *pavor*: nam Orellium quidem et plerosque qui interpretentur *num te lucri et potentiæ cupiditas vexare* **debeat** grammaticæ legibus parum

consuluisse atque adeo solœcismum quendam in Horatium conjicere Tu ipse rectissime sensisti, qui germanice sic reddas versum:

Ob dich die habsucht nicht, die beständig darbende peinigt:

sed quum per grammaticam ita liceat interpretari, vereor ne ad sententiarum ordinem parum istud sit aptum. Scilicet Tu vis Lollium juberi ex philosophorum libris se ipsum cognoscere, num se cupido vexet et pavor: sed etiamsi illud *γνῶϑι σαυτόν* Horatio familiarius esset quam est, tamen ab hoc loco, quippe quo præcepta quidem philosophiæ laudentur, ista sententia foret aliena. Itaque necessario aut cum Bentlejo *ne — ne* scribendum est, aut, quod boni libri exhibent, *non — non* et id quidem malim, nam ex ea lectione apparet facillime corruptelas manare potuisse. Hoc igitur dicit poëta: *doctos percontaberis qua ratione queas traducere leniter ævum i. e. qua ratione non cupido semper inops, non pavor et spes te vexet agitetque.* Nam in hac ipsa re vita tranquilla atque lenis posita est ut animi perturbationibus liberi simus.

Rursus quod ejusdem epist. v. 7 vulgatam lectionem *quæ se commendat tonsa cute, dentibus atris* omnino defendi posse negas et sic emendandam censes: *quæ cute se intonsa commendat, d. a.*, jam hac de causa ista conjectura minus probabilis videtur, quoniam, si pro *intonsa* librarii scripsissent *tonsa*, non ideo verba mutassent locum: quippe optimus versus relictus esset: *quæ cute se tonsa commendat, d. a.* Sed ne argumenta quidem quibus vulgatam lectionem impugnas ad rem apta sunt. Quod enim asseveras Augusti temporibus nitidissimum quemque diligentissime tonsum fuisse, id huc pertineret, si a librariis pro *tonsa cute* traditum esset *tonso capillo*: nunc vero, quoniam tonsam cutem, *τὴν ἐν χρῷ κουράν*, jam Schmidius luculentissime demonstravit asperitatis Stoicæ fuisse, dubitari non potest quin vulg. lectio sit genuina. Neque magis Tibi assentiri possum de v. 26, in quo per hyperbaton quoddam vocabula *veluti pia mater* post *ac* collocata quidem dicas, sed conjungenda esse cum verbo *regendi*: quale hyperbaton fortiter nego apud ullum bonum scriptorem reperiri posse.

In reliquis autem duabus epistolis nihil invenio de quo a Te dissentiam, præter unum versum 39 epist. XIX. Cujus quum extent interpretationes duæ, altera explicans: *Non ego nobilium scriptorum auditor et ultor esse dignor ut grammaticas ambiam tribus et pulpita*, altera: *Ego, quippe qui nobilium scr. aud. et ultor sim, non dignor ambire gr. tr. et pulpita*, Tu priorem illam paucis quidem verbis sed sine ulla dubitatione refutasti. Et Tuo sane jure: nam ex illa interpretatione et Pronomen *illorum* additum esse velimus nec verba *nobilium scriptorum* cum despectu quodam dicta esse possunt. Neque tamen hujus loci explicatio ad finem videtur perducta esse: nam quod Tu et ceteri qui Tecum faciunt Horatium suæ cum Virgilio et Vario et Tibullo necessitudinis atque familiaritatis mentionem facere censetis, primum illos poëtas non dixisset nobiles, sed magnificentiore

aliquo nomine ornasset: deinde vero, id quod multo gravius videtur, quamquam certissimum est verbo *ultoris* eum significari qui recitantibus vicissim sua carmina recitet eosque ita quodammodo puniat, unusquisque tamen facillime sentiet illo vocabulo ne per jocum quidem significari posse ullum poëtam recitantem nisi eum quem pertæsum sit alterius carmina audire. Atqui Virgilium, Varium, Tibullum non modo amabat atque diligebat Horatius, sed non ita eos lædere poterat ut coram omnibus diceret se tæduisse audire eorum carmina. Omissa igitur ista interpretatione sic versus explicandus est: *Ego quem isti vocant scriptorum nobilium i. e. nobili loco natorum auditorem, non dignor etc.* Nam sine dubio magnam invidiam conflaverat Horatio, quod apud principes illos viros qui ad voluptatem tantum artem exercebant versabatur atque frequens erat et eorum laude contentus grammaticas tribus despiciebat. Itaque eum obtrectatores contumeliæ causa nobilium scriptorum auditorem et ultorem vocaverant: ipse vero cum superbia quadam illud cognomen hoc loco sibi vertit virtuti atque honori. Sic omnia commodissime dicta sunt.

Iam vero finem faciamus hujus epistolæ criticæ. Quæ si Tibi forte uberiore filo quam elegantiore videatur esse: nolui opus exigere quod per se ut ita dicam staret atque artificii instar legentium animos delectaret sententiarum et verborum pulcritudine, sed Tibi, vir clarissime, me applicans perlustrando egregium Tuum librum ea potissimum tractare volui, quæ etiam a Te minus recte intellecta ego explicare posse mihi viderer. Quidquid igitur his litteris mandavi, ad accuratiorem Horatii interpretationem id velim valere. Quodsi hæc qualiscunque epistola, qua admiratione Tui est perfusa, Te paullulum incitet ad accelerandam alterius Epistolarum libri editionem et ad parandam ultro novam Satirarum interpretationem parem egregiæ illi carminum Horatianorum editioni quam nuper Nauckius, vir doctissimus, paravit: optimum eum hujus libelli fructum habebo — interim has annotatiunculas ea qua soles humanitate atque indulgentia, quæso, accipias. Vale, vir clarissime.

Dabam **PLOENAE** die **XX** mensis Martii a. **MDCCCLVII.**

